



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

VII. De praesumptione alienae dioecesis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

malitia in aliquo contradixerit , plurimorum consensus obtineat.

IV.

9. q. 3. Per
singulas
prouincias.

Per singulas prouincias oportet episcopum cognoscere primatum metropolitani episcopi ; & ipsum curam suscipere , nihil autem agere reliquos episcopos præter eum , secundum quod antiquitus a patribus nostris constitutum continetur in Canone. Propter quod & metropolitanus nihil sibi præsumptiue assumat absque consilio ceterorum.

V.

Si quis in parte alicuius fuerit ambitiosior inuentus , siue episcopus , siue presbyter , vel diaconus , de inferiori ciuitate non transeat ad maiorem. Quod si quis contra hæc magni Concilii constituta importunus extiterit , omnimodis euacuetur huiusmodi factum ; & suæ iterum restauretur ecclesiæ , cuius episcopus , aut presbyter , aut diaconus prius fuerit constitutus.

VI.

Episcopum a propria parochia non liceat transire in aliam , neque sua sponte introire , neque inuitatus , neque ab episcopo coactus ; sed permaneat in loco , in quo a Deo est ordinatus , & in eam quam fortiuit ecclesiam secundum antiquum Canonum institutum.

VII.

Si quis episcopus non per scripta metropolitani episcopi , aut qui cum eo sunt , rogatus , de alia prouincia in aliam venerit , sed præsumptiue irruens , ad ordinationem & constitutionem clerico-

rum, qui ad illum non pertinent, importunus existat, vacua sint & inania, quæ ab eo fuerint ordinata. Ipse autem * digna excommunicatione censeatur, & * abominetur a sancto Concilio.

* f. dignus
* al. alienetur

VIII.

Episcopum non liceat ante finem vitæ alium in loco suo constituere successorem. Si quis autem hoc usurpare tentauerit, talis constitutio irrita erit. Non ergo aliter fieri oportet, nisi cum consilio & iudicatu episcoporum, qui post exitum præcessoris potestatem habent, quem dignum elegerint.

8. q. 1. Burchar. lib. 1. c. 187. luo p. 5. c. 303.

IX.

Si quis episcopus vacans in ecclesiam non habentem episcopum, subripiens populos, sine consilio integri ordinis, intruerit; etiam si populus, quem seduxit, desideret illum; alienum eum ab ecclesia esse oportet. Integrum autem & perfectum Concilium dicimus illud, in quo metropolitanus episcopus fuerit.

Dist. 92. c. Si quis episcopus vacans.

X.

Si quis episcopus ordinatus, * pro contemptio-
ne populi, aut pro aliqua alia ratione, & non pro sua culpa, in parochia quæ ei fuerit data, * non læsit, hunc oportet honorem sacerdotum tantummodo contingere; & de rebus ecclesiæ, in qua conuenit, nihil sibi præsumat. Sustineat autem quid de eo sanctum Concilium iudicare voluerit.

* per contentio-
nem populi,
* al. non ierit,

XI.

Si quis episcopus ab episcopis ordinatus no-

Concil. Tom. 12.

Q999 ij